Mommsen

d

Hormel

AD LEGEM DE SCRIBIS ET VIATORIBUS

ET

DE AUCTORITATE

COMMENTATIONES DUAE.

QUAS

PRO SUMMIS IN UTROQUE IURE HONORIBUS RITE OBTINENDIS

AUCTORITATE ILLUSTRIS ICTORUM ORDINIS

IN ACADEMIA CHRISTIANA-ALBERTINA

DIE VIII. MENSIS NOVEMBRIS A. MDCCCXLIII HORA XI

IN AUDITORIO MAIORI

PUBLICE DEFENSURUS EST

THEODORUS MOMMSEN

OLDESLOENSIS.

KILIAE.

EX OFFICINA C. F. MOHR.

1843.

Imprimatur.

G. C. Burchardi,

p. t. Decanus.

I.

AD LEGEM QUAM DICUNT DE SCRIBIS VIATORIBUS PRAECONIBUS ANIMADVERSIONES.

Legem de scribis, viatoribus, praeconibus etsi nemo ignorat, qui rebus antiquis operam dedit, tamen quae sit, a nemine dictum est; uno consensu in incertis collocatur et aetas ex coniectura statuitur. Non parum igitur merebitur de nostris rebus, qui quo pertineant hae reliquiae utilitate haud carentes etsi aliis multis minime aequiparandae, certo demonstret; quamquam ad hanc rem oculis solis opus est et in hac tabula describenda neminem id fugere potuit nisi desidem plane et incuriosum. Sed est haec incuria in antiquis monumentis tractandis vulgaris et paene solemnis; ita, ut exemplum adferamus cum hac ipsa lege coniunctum, qui nuper eam edidit Spangenbergius — Hauboldum accusare religio est — verba legis Serviliae v. 63, a Scaligero ex aere allata et paucas paginas ante in lege Servilia suo loco edita ad hanc quoque legem trahere non dubitavit. — Quodsi nos neglecta aperimus, tantum abest

ut gloriam si qua inde redundabit nobis vindicemus, ut non proferre nos nisi res olim notas nunc turpi oblivione obrutas profiteamur. Antonius Augustinus est, archiepiscopus Tarraconensis, vir sui seculi primarius, nostro maior, cui haec accepta debemus. Ait in libro de legibus, ubi verba facit de variis exordiis legum (p. 12 ed. princ.): *„in tabula octava Corneliae de viginti quaestoribus: PRINCIPIVM. FVIT. PRO. TRIBV.“* (conf. Frontinus de aquaeduct. c. 29); a quibus verbis nulla legum nobis servatarum incipit excepta hac de scribis. — At fuit coniectura Augustini audax, felix fortasse, nequaquam vero certa. Attendas velim. Idem scribit ad Fulvium Ursinum d. XI. Nov. MDLXXV. (epistola exstat in opp. ed. Luc. T. VII, p. 259), postquam exposuit de duabus tabulis legum apud Capranicos servatis, huius nimirum et plebisciti de Thermensibus: *„In quella tavola dove sono quelle parole PRINCIPIVM. FVIT. PRO. TRIBV., sono in margine queste note: VIII. DE. XX. Q.; le quali io interpreto: octava de viginti quaestoribus. Dunque in sette altre tavole era la prima righa delle parole, che mancano avanti queste parole PRINCIPIVM.* Hac auctoritate viri fide dignissimi, qui hanc tabulam non semel oculis usurparat (cf. epist. ad Ursinum de d. XI. Apr. MDLXVII.) omnia efficiuntur plana et certa. Iam enim adhibitis verbis Taciti XI, 22: *lege Sullae XX. (quaestores) creati*, quae ipsum Augustinum adhibuisse

vidimus, tenemus legis Corneliae de viginti quaestoribus, inter leges Cornelias ab Augustino nescio quo casu omissae tabulam octavam. Nam cum lex aeri incidebatur neque una tabula commode absolvi poterat, ita fecerunt, ut plures tabulas binis columnis scriptas iuxta disponerent, exordium tamen continuarent per omnes tabulas hac ratione coniunctas; quod bene apparet in Graeca versione monumenti Ancyrani nuper ibi reperta. Numerus tabularum praeterea in margine superiore inter columnas notabatur; quod videre licet in lege Rubria.

Quam legem teneamus, dictum est; quid in ea scriptum sit, dictu difficillimum est neque a nobis hic dicetur. In universum sermo est de augendo officio quaestorio; quod optime convenit extremae parti legis quaestoriae. Sed illa de decuriis viatorum et praeconum non intelligo; videntur quaestores non suo quique anno apparitores legisse, sed certis annis in complures annos eos constituisse, ut cum haec lex ferretur decuriae in proximum triennium ordinatae essent itaque a consule, non a quaestore extraordinaria sublectio institueretur. In singulis decuriis quae ad aerarium apparebant antea terni homines videntur fuisse, post hanc legem quaterni. Quot vero viatorum praeconumque quaestoriorum decuriae fuerint; porro quid fecerint iis annis, quibus quaestoribus ad aerarium non apparebant, nescimus; nobis satis est unam rem adhuc si non ignoratam tamen non creditam ex hac lege in lucem

protrahere; nempe diem, quo quaestores magistratum inibant. — Ait lex: *quam decuriam viatorum (praeconum) ex noneis Decembribus primeis (secundeis, tertieis) quaestoribus ad aerarium apparere oportet oportebit.* — *Primis* coniungendum est cum *nonis*, ut saepe in lege sermo est de lectione ante Kal. Dec. primas etc. instituenda; non cum *quaestoribus*, quod placuit olim viro docto, cuius de hac re difficillima expositionem cupide exspectamus. Nonis igitur Dec. iniisse quaestores consentaneum est, ut tribuni pl. inibant IV. Idus Dec. Quod non est novum, sed aperte scriptum exstat apud auctorem pessimae fidei, cuius non omnia spernenda esse ita salutari exemplo didici. Ad verba Ciceronis in Verr. Act. I, 10, 30: *P. Sulpicius magistratum ineat oportet Nonis Decembribus* Pseudo-Asconius perperam cogitavit de tribunis plebis (p. 141 Orell.); sed recte scholiasta Gronovianus (p. 395 Orell.) notat: *quaesturam intelligimus. Nam omnes ceteri magistratus Kal. Jan. procedebant, soli vero quaestores nonis Decembris.* Verum quod accepit ipse corrupit; ita Zumptius (ad h. l.), Orellius (in onomast. v. P. Sulpicius), Drumannus denique (V, p. 406, not. 17), qui pro multis est, eius opinionem aut non attenderunt aut reiecerunt. — Quo cognito explicatur etiam *expectatio sortis* Cicer. Catil. IV, 7, 15, quae homines doctissimos vexavit (vide Drum. V, p. 523, not. 33). Loquitur Cicero de famosis illis nonis Dec., quibus

Catilinarii capitis damnati sunt: *scribas item universos*, inquit, *cum casu haec dies ad aerarium frequentasset, video ab exspectatione sortis ad communem salutem esse conversos.* Provincias quae modo post designationem, modo post susceptum magistratum attribuebantur, ea die quaestores illico post initam quaesturam sortiri voluisse suspicor; quae res ut ipsos candidatos ita scribas quoque omnesque apparitores suspensos tenebat. Ita non cogimur sortem referre ad ipsos scribas quaestoribus attribuendos; quamquam ne hoc quidem Drumanno concesserim in scribis distribuendis sorti locum non fuisse.

II.

DE AUCTORITATE COMMENTATIO.

§ 1.

Auctoritatis verbum, si fides est recentioribus, plane singulari ratione usurpatur in antiquis legibus, praesertim in XII. tabulis. Quae significatio subsit, disceptant viri docti; qua de re tractare nobis proposuimus. Sed cum in hac lite rei partes postulemus, non iudicis, minime faciemus ut patroni male copiosi, qui totam actionem excipiendo retractant; arbitros communes non ex mea qualicunque relatione aliorum opiniones cognituros esse persuasi simpliciter nostram exponemus sine ulla refutatione, nisi forte pro refutatione erit probabiliora proposuisse.

Auctor est is qui fecit, auctoritas conditio eius qui fecit. Plaut. Trin. I, 2, 180: *Quodsi exquiratur usque ab stirpe auctoritas, Unde quidque auditum dicant, nisi id appareat, Famigeratori res siet cum damno et malo.* Qui vero fecit, tenetur ut rationem reddat cur fecerit damnumque si quod inde venit resarciat; ita dicunt poenas praemiaque sequi auctorem. — Hunc usum

vitae communis itidem reperimus in iure pressiorem etiam multo et magis perfectum. Ut in usu communi auctor meus est is qui me genuit, ita in iure, cuius fundamentum et quasi vita est dominium, auctor meus est is qui me dominum fecit. Quoniam vero dominum me reddi professus est, praestet etiam rem meam esse itaque in arte, iam per se procedênte ea vi damni praestandi, quae in usu vulgari ex coniunctis adsumitur, *auctor* est is qui evictionem praestat. (Plautus Curc. IV, 2, 12. Cic. in Verr. II, 5, 22. Dirksen man. s. v. § 5.) Quin appellatur auctor non solum is qui ex rei alienatione evictionem praestare necesse habet, sed quicunque evictionem praestat, etsi dominium non transtulit, ut fideiussor, quem vulgo appellabant *auctorem secundum* (l. 4 D. de evict. XXI, 3 et ad h. l. Glück Comm. XX, 178, not. 48). Ita originariae significationis obliti novam plane et antiquae nonnunquam contrariam vim verbo auctoris tribuere coeperunt. Rarius ita usurpatur *auctoritas*, usurpatur tamen; Seneca qui verborum proprietati quam maxime studet, *auctoritatem promittere* quem ait (nat. quaest. IV, 3). Ex nostris autem Papinianus duplae promissionem appellat *stipulationem auctoritatis* (Vat. fr. § 10) et Paulus ait (S. R. II, 17, 1): *auctoritatis manet obnoxius* (ubi Schulting. supplet *actioni*, Salmasius reponit *auctoritati)* et paulo post § 3: *auctoritatis venditor obligatur* (cf. Glück XX, p. 180, n. 49). Ita etiam dicitur *defugere auctoritatem*, quae

locutio etsi in nostrae artis libris non reperitur, sed apud eos solum qui omnibus scripserunt, tamen *defugere* certe simpliciter ita legitur l. 39 in f. D. de evict. l. 139 D. de V. O. XLV, 1. et translate loqui videntur qui ea coniunctione usi sunt Plaut. Poen. I, 1, 19. Terent. Eunuch. II, 3, 98. Cic. Sull. 11, 33. *) — Denique amplius etiam prolatis vocabuli terminis non evictionis praestatio tantum, sed ipsa actio de evictione dicitur *auctoritas*; Venuleius l. 76 D. de evict.: *Si alienam rem mihi tradideris et eandem pro derelicto habuero, amitti auctoritatem, id est actionem pro evictione placet.*

Auctoritas igitur est conditio eius, qui quia mancipavit vendiditve ad evictionem vitiaque praestanda obligatus est; dominium non significat ne hoc quidem loco Ciceronis de harusp. resp. 7, 14: *Multae sunt domus in*

*) Huc etiam referenda sunt verba Senecae patris controv. III, 21: *relegamus auctoritatis tabellas: furtis noxaque solutus.* Tabulae venditionis hic dicuntur auctoritatis, quia ea quae ab auctore praestanda essent simul in iis scripta maxime indicanda erant. Eadem ratione in l. 43 de pign. act. XIII, 7. *instrumentum auctoritatis* ad agri modum pertinet, quanti venditor auctorem se esse emtori scripserat. Cf. Cic. pro Tull. § 17: *Neque dum fines auctor demonstraverat* Paul. S. R. II, 17, 4. Neutro loco necesse est auctoritatem de dominio accipere. — Rubrica *de contrahenda auctoritate* Paul. S. R. V, 10. obscura est; fortasse auctoritas non in sola dominii translatione de vitiis praestandis usu venit, sed qualemcunque damni praestationem complectebatur. Ita qui damni infecti promisit auctoritatem contraxisse dicebatur — *er übernahm die Gewähr.*

hac urbe atque haud scio an paene cunctae iure optimo, sed tamen iure privato, iure hereditario, iure auctoritatis, iure mancipi, iure nexi. Salmasius (de usuris p. 211) auctoritatis ius intelligit de dominio bonitario; eum enim, qui rem in bonis habeat, usque ad usucapionem non habere rem, sed auctorem solum. Verum est; sed collocat Cicero domus auctoritatis iure nostras inter domus iure optimo possessas, quibus nullo nisi privato iure munitis suam opponit tanquam lege publica et sacra defensam. Quare recte refertur ius auctoritatis ad dominium ex iure Quiritium; sed tantum abest, ut auctoritas id dominium significet, ut nihil nisi auctoris obligationem ad rem defendendam hic subesse suspicer. Qui enim iure privato, id est ex iure Quiritium domum possident, aut lege testamentove eam ceperunt hereditario iure, aut emerunt et auctoritate, mancipatione, nexu defenduntur. Coniunxit Cicero plenius quam accuratius alia similia, alia diversa et totum cum partibus uno ordine protulit, ut fecit in causis centumviralibus de orat. I, 38; nemo deducet ex hac oratoria negligentia novam vocabuli significationem.

§ 2.

Auctoritas quid alibi significet, exploravimus; eadem ratione usurpari vocabulum in antiquis legibus consentaneum est. Qua de re agemus cum viderimus quid

iure antiquo venditor praestiterit emtori. *) Nam hoc satis constat mancipio dantem defendere debuisse eum qui mancipio acceperat. Quanquam Cicero (Top. 10, 45): *Finge, inquit, mancipio aliquem dedisse id quod mancipio dari non potest; num idcirco id eius factum est qui accepit? aut num is qui mancipio dedit ob eam rem se ulla re obligavit?*

Sed non loquitur de rebus alienis sacrisve, quarum mancipatio a non domino facta nequaquam impunis erat; loquitur de iis rebus, *quae mancipio dari non possunt* a quoquam, id est quae mancipationem non recipiunt et sunt nec mancipi. Quas qui mancipat, nihil agit. Id, quod multi nunc negant, eo decepti quod non iuris auctores, sed alii scriptores mancipandi verbo interdum de omni venditione abutuntur, ex hoc loco certa ratione effici videtur; cf. etiam Ulp. XIX, 3, 7. arg. l. 8 pr. D. de acceptil. XLVI, 4. Adstipulatur Boethius antiquus huius loci interpres: *Si quis rem nec mancipi mancipaverit, num idcirco rem alienavit aut se reo* (scribe *eo) facto potuit obligare?* — Quid praestandum sit ei qui mancipio dedit, Cicero (pro Mur. 2, 3) exponit: *Quodsi in iis rebus repetendis*, inquit, *quae*

*) Non ignoro in his rebus Mayeri doctrina et acumine quaedam praecepta esse (*Litiscontestation I, S.* 135 — 140), praesertim quae de duplae stipulatione dicentur. Ne tamen disputationis dudum perfectae, cum Mayeri librum acciperem, ordinem turbarem, omnia suo loco reliqui. Neque id ipsum sine aliqua auctoritate est diversis rationibus idem demonstrari.

mancipi sunt, is periculum iudicii praestare debet, qui se nexu obligavit, profecto etiam rectius in iudicio consulis designati is potissimum consul, qui consulem declaravit, auctor beneficii populi Romani defensorque periculi esse debebit. Auctor itaque periculum iudicii de re mancipata commissi praestat; tamen cum defensor domini etsi Ciceronis tempore extitit antiquitus exstare nequiret, tum cum sacramento agebatur auctor videtur factus esse praes litis et vindiciarum. Ita eum spectabat periculum iudicii; nam de sacramento dicis causa certabatur. Sed hoc non sufficit; non enim ipso iure praes fuit, sed cogendus erat ad obligationem suscipiendam. Hanc si recusasset quas poenas dederit videamus.

Causa obligationis erat auctori lex XII. tabb. *Cum nexum faciet mancipiumque, uti lingua nuncupassit ita ius esto* (Dirksen VI, 1). Id est auctor et rem eius facere necesse habebat, cui mancipio dabat et eam ita praestare uti dixerat, verbi causa agrum optimo iure, tot iugerum (cf. Paul. S. R. II, 17, 4), vitiis carentem. Quod nisi faceret, duplione luebat. Cic. de off. III, 16, 65: *Ex XII. satis erat ea praestari quae essent lingua nuncupata, quae qui inficiatus esset, dupli poenam subibat.* Cf. l. 48 D. de pact. II, 14. Solemne et quasi religiosum videbatur mancipationis carmen, quod si quis violarat sive sciens sive nescius — haec enim ius antiquum non distinguebat — periculum erat. Cum vero in formula mancipationis quae exstat mancipio dans

neque lingua quicquam nuncupet neque omnino verbum faciat, mancipio accipientis verba sola superesse suspicor, interiisse vero ea verba, quibus mancipio dans antea *nexu se obligabat*, ut ait Cicero l. c. Id est *nexum mancipiumque* XII. tabb. — Utut haec sunt, res ipsa certa est. Si is qui manciparat neque dominus erat neque iudicium suscipere paratus, proprium iudicium dabatur in duplum, cuius denique Paulus meminit S. R. II, 17, 3: *Res emta mancipatione et traditione perfecta si evincatur, auctoritatis venditor duplotenus obligatur.* Lectionem plane singularem codicis Vesontini, de cuius auctoritate videndus est Savigny (Syst. II, p. 553), *nullatenus* male a Cuiacio (obss. XXI, 15) defendi apparet; *duplotenus* exhibent omnes codices Haenelii flagitantque artis criticae leges. — Verba *mancipatione et traditione perfecta* cave alternative ut loquuntur accipias de rebus mancipi mancipatis, nec mancipi traditis; nam de simpliciter traditis locutus est Paulus § 2. Ita haec verba Paulli confirmant quae supra proposuimus et recte nos non de sola inficiatione dupli poenam accepisse ostendunt. Praeterea ex iis prodit nomen iudicii quod fuit *auctoritatis.* Cuius reliquias tenere videmur in notis legum: *Quando In Iure Te Conspicio Postulo An Fuas Auctor* (cf. Ballhorn-Rosen über dominium p. 268, not. 80); nam Cicero pro Caec. 19, 54: „actio est in auctorem praesentem his verbis: *Quandoque te in iure conspicio.*“ Ubi omnes codd. *auctorem* habere, nullum actorem

ex Kelleri semestrium L. II, p. 481. hoc ipso die ad me perlato vidi. *Quandoque* rectum est et significat *et quando*; praecesserunt enim quaedam e. c. *Quando tu mihi agrum vendidisti.*

Auctoritas autem auctoritatisque praestatio propria erat mancipationis; in traditione nullo carmine utebantur ideoque per se evictionem non praestabant. Ita non sine causa Cic. pro Mur. 2. iudicii periculum a nexu ducit, quem in solis rebus mancipi usu venire significat; non sine causa de harusp. resp. 7. optimo iure possidentem facit qui iure auctoritatis possideat, ut qui rem in bonis tantum habeat auctoritate auctoreque carere indicet. Quare Plautus quoque Curc. IV, 2, 12. ait a lenone emi quidem, sed mancipio non accipi, ut nemini is auctor sit: *Nec vobis auctor ullus est nec vosmet estis ulli.* Denique quia auctoritas mancipationem comitatur, cum hac et ipsa ex Digestis evanuit, extra ea passim relicta. — Quas igitur supra composuimus auctoritas et evictionis praestatio ita differunt, ut haec ad naturalem illa ad civilem alienationem pertineat; quanquam auctoritas non raro minus proprie ponitur. In summa quae ipso iure ex mancipatione venit obligatio venditoris ad defendendum emtorem in traditione proprio pacto constituenda est. Ita in Plauti Persa, ubi iubetur procurator ancillam furtivam vendere, additur: *Suo periculo is emat qui eam mercabitur; Mancupio neque promittet neque quisquam dabit* (IV, 3, 55. 56).

Quare in venditione procurator ait: *Prius dico*, *hanc mancupio nemo tibi dabit* (IV, 4, 40 cf. 114). Ut igitur venditor periculo liberetur, sufficit ancillam mancipio non dari, sed simpliciter tradi nullo pacto de praestando periculo adiecto; nam venditor etsi mancipio non daret, tamen si promitteret mancipio, i. e. eam emtoris facere polliceretur (mancipium enim est dominium Lucret. III, 983. Cic. ad fam. VII, 29. 30), teneretur ex pacto. Idem obscurius indicatur Curc. IV, 2, 4, ubi re tradita venditor ait: *memini* scil. me simplam pro evictione promisisse *et mancupio tibi dabo*, nempe ut duplam postulare possis.

Pactum quod in traditione auctoritatem repraesentabat iam omnes intelligunt esse duplae stipulationem, quam aliter explicare difficillimum est. Recepta videtur eo tempore, quo emti venditi actio ex consensu solo nondum dabatur; tum enim in rebus nec mancipi emtor omni auxilio destitutus erat, nisi forte et eas mancipio accepit. Quod tamen nobis non videtur fieri potuisse. In duplum vero concipi solebat stipulatio duplae, ut traditio aequipararetur mancipationi. Coniectura haec de duplae origine probabilis videbitur, cum ab iis venditionibus incepisse eam demonstratum erit, quae mancipatione non confirmabantur. Quod et per se probabile est, cum satis sufficeret auctoritatis iudicium si quid aere et libra actum erat; et quodammodo iam in verbis Plautinis interpretandis factum est. Sed extra dubita-

tionem id ponunt verba Varronis de re rust. II, 10: *In servorum emtione solet, si* ***mancipio non datur*** *dupla promitti, aut si ita pacti simpla.* — Idem subesse videtur in l. 37 § 1. de evict.: *Quod diximus duplam promitti oportere, sic erit accipiendum, ut non de omni re id accipiamus, sed de his rebus quae pretiosiores essent, si margarita forte aut ornamenta pretiosa vel vestis serica vel quid aliud non contemtibile veneat. Per edictum autem Curulium etiam de servo cavere venditor iubetur.* Ad quae verba duo notanda sunt, quibus hanc alteram commentationis partem terminabo. Primum quod ait Ulpianus duplam promitti *oportere*, id est novissimi iuris, ortum ex praecepto illo ea quae sint moris et consuetudinis in bonae fidei iudiciis venire (l. 31. § 20 D. de aed. ed. XXI, 1). Causa duplae semper fuit contractus, sed tacitus postea ut ex emto agere posses quasi pacto adiecto tum ad pactum stipulatione confirmandum (l. 2. 37 D. de evict.) tum ad id implendum (Paulus S. R. II, 17, 2). — Deinde Ulpianus hoc loco stipulationem duplae primum refert ad res nec mancipi ita, ut in enumerandis rebus pretiosissimis agrum mancipiaque studiose omittat; quod casu non videtur factum esse. Postea addit ex edicto aedilicio stipulationem ad servos quoque pertinere; qua de re quid dicamus non habemus. Aut edixerunt Aediles de servis non per aes et libram traditis; quod si olim hoc loco scripsit Ulpianus, diserte stipulationem duplae

ad eos contractus restrinxit, qui mancipatione carent. Aut in mancipatione quoque postremo duplae stipulatio admissa est, quae quidem multo facilius quam nexi solemnitas pacta adiecta recipiebat. Quod qui probat, explicatum habet cur nexus interciderit et duplae stipulatio in eius locum succreverit, cuius ad imaginem olim efficta et efformata erat.

§ 3.

Denique postquam cognovimus, quid significet auctoritas quidque in iure efficiat ipsas leges interpretabimur.

I. Usus auctoritas fundi biennium esto, ceterarum rerum annus. (Dirks. VI, 3.)

Ex nostra vocabuli interpretatione haec lex ait: Fundo per biennium emtor utatur, venditor tamdiu auctoritatem ei accommodet evictionemque praestet; in ceteris rebus annus pro biennio observetur. — Quod quamquam optimam sententiam praebet, tamen offendit *ceterarum rerum* generalis commemoratio. Nam si diceremus res nec mancipi non esse res civiles ideoque per se in rebus non inesse, pauci aut nemo adsentirent. Offendit porro de usucapione silentium; nam quamquam eam hac lege confirmatam esse auctores consentiunt, tamen sola causa usucapionis apparet, nullum

ipsius usucapionis vestigium. — Dubia haec expediri posse confido, modo liceat argumentari ex legum ordine, qualem Dirksenius ingeniose constituit. Nam etsi errare potuit, tamen eiusmodi quaestiones aut plane desperandae sunt aut ex certa legum ordinatione solvendae. Decemviri initio tab. VI. locuti de nexo et mancipio, quid ei faciendum esset qui mancipio dedisset, cum usucapione perfecta emtorem securum esse posse neque amplius opus ei esse auctoritate intelligerent, terminum addere voluerunt, quo auctor liberaretur. Id factum est his verbis. Quare necesse non erat res nec mancipi excipere; initio enim de mancipatione tantum dictum erat. Deinde cum usucapionis terminos non definire vellent, sed applicare dudum receptos (*Dirksen*, *Zwölftafelfragm. S.* 420. *Zimmern*, *Rechtsgesch.* I, 839, n. 33), quid erat quod de usucapione ipsa verba facerent? ICti postea, lege potius quam consuetudine utentes usucapionis fines ex his verbis sumserunt et hanc allegationem compendiis inseruerunt.

II. Adversus hostem aeterna auctoritas.

Locus, quo haec lex collocata erat, plane incertus est (*Dirksen* l. c. p. 104. 222); quod facit ut certam explicationem dare non possim. De postliminio in ea cautum esse non videtur; ita ex intima natura iuris Romani fluxit, ut lege opus non esset. Duae aliae interpretationes sunt, quae haud absimiles veri mihi

videntur. Quodsi Romanus peregrino rem vendiderat, peregrinus cum usucapere non posset perpetuam tuitionem requirebat; id est *adversus hostem aeterna auctoritas*, in peregrino venditor semper evictionem praestet. *Adversus* ita significat circa, quoad; cuius significationis etsi exempla inveniuntur (Dirksen s. v. § 2); tamen rarior est, ut fortasse alia interpretatio magis sit placitura. Civem civi vendidisse ponamus, qui contra peregrinum defendendus sit. Cum legibus Romanis peregrini non tenerentur, in recuperatorio iudicio usucapionis exceptio non est admissa, ut venditor emtorem adversus peregrinum non biennium, sed semper defendere cogeretur. Ita *adversus* vulgari sententia accipitur. — Quicquid est nulla causa apparet, quin in auctoritate hic idem inesse putemus, quod praeterea inest.

III. Quod subreptum erit, eius rei aeterna auctoritas esto.

Ita auctore Gellio XVII, 7. scriptum erat in lege Atinia, quae non pertinet ad a. DLVII. (nam Liv. XXXIII, 22. nihil probat), sed ad finem seculi sexti, cum Scaevola, Brutus, Manilius, ICti septimi seculi incipientis (*Zimmern*, *Rechtsgesch. I*, *S.* 276) disputarint, utrumne in post facta modo furta lex valeret an etiam in ante facta. Eo tempore igitur lex recens erat. — Ceterum lex expositione non indiget; sed dicendum est

quae coniunctio intercedat inter eam et XII. tabularum caput, quod furtivam rem usucapi vetabat. Non esse legem Atiniam nisi antiquioris repetitionem non placet; tum frustra litigassent viri doctissimi an in ante facta valeret. Item qui furtivas res a surreptis discernunt, nodum in scirpo quaerunt. — Longe alia res est. Decemviri cum inter leges poenales furtivarum rerum vitium sancirent, non animadverterunt legem generalem de auctoris liberatione post annum ad furtivas res quoque pertinere; quo factum est, ut furtivarum rerum usucapio non procederet, auctor liberaretur; id quod erat incivile. Ita addidit lex Atinia, quod decemviri omiserunt aeternamque auctoritatem harum rerum sanciverunt.

THESES.

1. Verba Ulpiani VI, 10. recte in codice scripta esse, modo ita distinguantur: *Singulorum liberorum nomine sextae retinentur ex dote, non plures tamen quam tres. Sextae in retentione sunt, non in petitione.*

2. Familiae emtoris verba Gai. II, 104. ita scribenda esse: *Familiam pecuniamque tuam endo mandatela tua custodelaque mea [esse aio et ea] quo tu iure testamentum facere possis secundum legem publicam, hoc aere aeneaque libra esto mihi emta.*

3. Verba Horatii Serm. II, 1, 86: *Solvuntur risu tabulae; tu missus abibis* ad XII. tabulas esse referenda.

4. Leges 19 et 22 C. de iure delib. VI, 30. ita esse conciliandas, ut qui intra tres menses a die scientiae moriatur, annale tempus deliberandi inde a die scientiae computandum petiisse videatur.

5. Diem pro homine interpellare posse, non ubivis interpellare.

6. Praetorem ita ius dixisse, ut certis diebus certa iudiciorum genera ordinaret.

7. Leges iudiciarias Semproniam a. DCXXXI, Serviliam Caepionis, Liviam, Corneliam idem sanxisse.

8. Legem repetundarum quam Serviliam dicunt minime esse Serviliam.

9. Niebuhrii cum splendorem tum errores in eo positos esse, ut historiam totam esse hypotheticam sive ignoraret sive negaret.

10. Omnia populi iudicia capitalia fuisse ex provocatione.

11. In re iudicata novationem non inesse.

12. Male dici plebem Romanam nihil voluisse nisi rerum fructum sine labore.

13. Illud *Graeca non leguntur* cum verum esse tum probandum, cum res Graecae philologorum sint, Latinae iurisconsultorum.

14. Iurisconsultum a philologo discere posse; an possit philologus ab illo, adhuc dubitandum.

15. Exceptis causis maiestatis populi iudicia hoc tempore non esse probanda.